

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Oratio Ad Pastores Ecclesiasticos in synodo Parisiensi  
Habita 3. Cal. Maii. 1563**

**Dalenconius, Ludovicus**

**Parisiis, 1563**

Ad Omnes Haricvriani Gymnasii doctores theologos, & paeceptores.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-31456**

## AD LECTOREM DE ORATIONE SY-

*nodali nuper à Domino Lud. Dalenconio doctore theologo in æde  
diuæ Mariæ sacra habita. F. Le Picard.*

**N**on mirum est (lector) quod sydera clarus honores  
Obtineat primos inter fulgentia Phæbus.  
Quo commune bonum magis est, hoc laudis honestæ  
Dignius esse solet: rerum natura bonarum  
Alma parens sic nos iussit sentire: nec Herclè  
Hos frustrà colimus, quibus est res publica multis  
Deuincta officiis, quis recto hoc iure negabit?  
Ecce Dalenconius nuper moderator & auctor  
Harcuriæ pubis, diuinæ legis amator  
Doctorque eximius, multa præfulgidus arte,  
Cuius ego imperiis parebo semper, vt ante  
(Discipuli pro more boni) dum vita manebit.  
Qui facta synodo diuinæ matris in æde,  
Et sermone suo (quondam velut Orpheus sylvas  
Dulcisono mouisse ferunt & flumina cantu)  
Sic hominum teretes demulxit protinus aures,  
Vt commune statim manus altera (credite) cunctis  
Fecerit istud opus, dum diceret inscius autor.  
Eya agè sublatos sincero corde labores  
Excipe, furtiuis nihil est iucundius vndis.

## AD OMNES HARICURIANI GYMNA-

*si doctores theologos, & præceptores. F. Picard discipulus.*

Quot Gazas Arabum tellus, quot sydera cælum,  
Quotque habet eximios Græcia docta sophos.  
Tot præclara viros vestro fulcita labore  
Protulit insignes, Harcuriana domus.  
Quid caußæ est? morum probitas, & vita pudica,  
Omnibus esse solet concomitata bonis.